

buntur: non quidem ob infidelitatis peccatum, a quo illos invincibilis, ut vocant, ignorantia excusat; sed propter alia multa flagitia, quæ ipsi non contra fidei lumen, quo caruerunt, sed contra naturale lumen, quod mentibus nostris cum ipsa simul natura impressum a conditore fuit, admiserunt. Sicut enim is quum angelos creavit, species etiam & rerum scientiam simul in eorum mentibus creavit: ita quum rationalem animam condidit, lumen quoque illi, quo a bonis mala discernent, indidit; & naturalem quamdam aversionem a malo, & ad bonum propensionem ingeneravit. Quia igitur adversus hoc inditum rationis lumen deliquerunt, non dubium, quin æterno supplicio apud inferos cruciandi sint. Sicut enim (a) extra arcam Noë, domumque Raab in Jericho, (b) nulli salus contingere potuit, ita nec extra Christi fidem & ecclesiam.

Nunc, quæso, fratres, diligenter expendite, cujusmodi nos periculum maneat. Si enim barbaræ istæ nationes ob violatam naturæ legem, quæ animis nostris impressa est, sine fine cruciandæ sunt; quo nos timo-

re concuti par est, qui tam multa alia ad pietatem & justitiam adjumenta percepimus? Nos enim ipsum naturæ lumen, nos catholica fides, nos evangelica doctrina, nos innumera prophetarum, apostolorum, & ecclesiæ doctorum volumina, nos quotidianæ ecclesiæ voces ad pietatem erudiunt & hortantur. Adde his tot clarissima non modo sanctorum omnium, sed ipsius etiam conditoris nostri exempla, tot in humanæ infirmitatis remedium instituta sacramenta, tot internos Spiritus sancti motus, qui semper (c) stat ad ostium, & pulsant. Quid referam ipsius Domini Salvatoris adventum, & acerbissimam mortem nostri gratia susceptam; qua & summum a nobis erga se amorem, & summum peccati odium, propter quod delendum tam multa passus est, meritissimo jure exigit? Multi solum de peccatis rationem in divino judicio exigendam timent: ego vero non minus creditorum talentorum, hoc est, divinatorum beneficiorum, ac præcipue summi & maximi redemptionis & salutis nostræ beneficii, rationem exigendam pertimesco. Quam quidem rem non obscure Salvator declaravit, quum

(a) Genes. 7. 23. (b) Josue 6. 17. (c) Apocalyp. 3. 20.

cum ait: (a) hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Quod perinde est, ac si diceret: damnationis & judicii hæc præcipua causa futura est, quod lux cælestis, quod malorum omnium medicina, quod promissa salus & vita, quod sapientia & justitia, quod sanctificatio & redemptio venerit in mundum, quam tamen gratis oblatam a se improbi repulerunt. Quocirco nullo modo naturæ infirmitatem prætexere jam possunt, quum ipsi oblatam medelam repudiaverint, nec se cælesti medico sanandos præbere voluerint.

Magnum ergo nobis, fratres, ob admissa flagitia periculum impendet, nec minus tamen ob accepta beneficia, & salutis adjumenta neglecta. Hinc idem Dominus, ut Matthæus evangelista refert, (b) cepit exprobrare civitatibus, in quibus facta fuerant plurimæ ipsius virtutes: quæ tamen ne his quidem divinæ virtutis argumentis ad poenitentiam excitatæ fuerint. Potuerat quidem Dominus multa illarum civitatum scelera percensere; sed his tamen silentio pressis, hoc unum

Tom. III.

(a) Joan. 3. 19. (b) Matth. 11. 20.

commemorat, quod eorum causam maxime premebat. Hoc est etiam in causa, fratres, cur sanctissimi quoque viri hoc judicium reformident: quia quamvis nullius sibi letalis criminis conscius sint, hujus tamen beneficii rationem sibi a Deo exigendam perimescunt. Quæ ratio D. Thomam impulit, ut dicat, leviori apud inferos poena propter scelera sua infideles, quam fideles, esse puniendos: quod videlicet utrique pro qualitate percepti luminis, & beneficiorum divinatorum, atque adjumentorum, quæ utrisque ad recte vivendum donata fuerint; plectendi sint. Quocirca oro obtestorque vos, fratres, ut hæc ipsa, quæ diximus, diu multumque cum animo vestro cogitantes, auresque vestras mundi vocibus obturantes, easque divinis oraculis referantes, secundum eorum præscripta vitam & mores vestros instituatis. Nemo nostrum sibi vilescat, nemo parvi salutem suam aestimare velit. Pretium enim animarum nostrarum sanguis Christi est. Quin & martyrum etiam & apostolorum sanguine hæc tanta salus ad nos usque perlata est. Ut enim nobis fidem, fideique doctrinam & sacramenta

N

tra-

traderent, imensos labores pertulerunt, omnes orbis regiones peragrarunt, acerbissima cunctorum pane mortalium odia præceptoris sui exemplo sustinuerunt, ac postremo, quod terribilium omnium extremum esse dicitur, acerbissimis suppliciis vitam profuderunt. Suo enim & ceterorum apostolorum nomine Paullus admiranda illa certamina & labores, propagandæ fidei gratia susceptos, describit his verbis: (a) *puto enim, quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus*: hoc est, tam multis ac magnis persecutionum procellis nos mundus exagitavit, ut quemadmodum in spectaculis publicis homines feris dilacerandi obijciuntur; ita nos laboribus nostris, non hominibus solum, sed angelis etiam, admirandum spectaculum facti sumus. Enumeratque deinde suos atque coapostolorum multiplices labores his verbis: (b) „*usuramus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & labora-*

„*mus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*” Hactenus verba Paulli: quæ is non de se modo, ut ante diximus, sed de ceteris quoque apostolis prædicat. De quorum numero gloriosi apostoli, Simon & Judas, quorum hodie festum diem celebramus, exstiterunt: de quibus illud certum est, quod simili cum ceteris apostolis studio fidem Christi propagarunt, similemque martyrii coronam adepti sunt. Quo autem in loco, aut quo modo res gesta sit, quoniam ecclesiastici scriptores variant, nihil in præsentia dicimus. Nos autem, fratres, eorum fidem, caritatem, patientiam, constantiam, divinæ gloriæ studium, & vitæ puritatem imitari studeamus; ut eorum vestigiis insistentes, ad eorum tandem societatem pervenire mereamur: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN

(a) 1. Corin. 4. 9. (b) *Ibidem*, v. 11. 12. 13.

IN EODEM FESTO  
BB. SIMONIS ET JUDÆ  
CONCIO SECUNDA,

IN QUA, POST BREVEM EVANGELICÆ  
lectionis explanationem, de laborum patientia,  
& perfecta in Deum caritate agitur.

*THE.* Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Joan. XV. 18.

\*\*\* Odierna sancti evangelii lectio, fratres carissimi, pars quædam est excellentissimi illius sermonis, quem Dominus in novissima cœna ad discipulos habuisse memoratur: in quo illos partim ad mutuam dilectionem adhortatur; partim de suo abscessu mœrentes consolatur; partim vero labores & certamina, quæ illos in evangelii prædicatione manerent, ne ipsos imparatos, & falsa securitate torpentes invenirent, prænuntiat. In præsentibus vero sancti evangelii lectione hæc eadem fere attingit, & novis ea rationibus confirmat; quæ nos modo breviter perstringemus. Quam rem ut pie & utili-

ter præstare possimus, caelestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Exposuerat paullo ante Dominus ingentia præmia, quæ mandatorum & legum suarum cultoribus constituta erant. Dixerat enim primo: (a) *si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc autem præmio quid optari majus potuit atque præstantius? *Ad eum, inquit, veniemus; nec veniemus modo, sed etiam mansionem apud eum faciemus: in eo videlicet tamquam*

N 2

in

(a) Joan. 14. 23.